

... Laurentius Tammelin ... Bion,  
eximius quondam ... die 14.  
Februarii, an...

Tammelin, Laurentius Gabrielis,

*17 Taad Fol.*



National Library  
of Sweden

REGIÆ ACADEMIÆ ABOENSIS,  
PROFESSOR MATHESEOS ORDINARIUS,  
ET  
HONORUM DIRIBITOR LEGITIME  
CONSTITUTUS

**M. LAURENTIUS TAMMELIN**

Candidato Philosophiæ eximio & literatissimo

S. P. D.

**B**ion, eximius quondam Philosophus, cum intelligeret aliquando, juvenem delicatiorum curare, ut imago sui similis fieret, dixit ad eum, TU TIBI SIMILIS LAPIS FIERI CURASTI, IPSE, NE LAPIDI SIMILIS FIAS NON CURAS: Bionuenseos lapidibus haud absimiles esse, qui literis animum non exornant. Ideoque cum imminente exilio, a quodam familiari interrogaretur, cujatem se esse diceret? Cosmopolitam se dixit, totius enim mundi incolam, & civem posse eum arbitratur esse, qui omnimodæ eruditionis secum portaret thesaurum. Expertus est veritatem ipsa re Aristippus, quippe quodam tempore cum lociis navigans, naufragio ejectus est in terram peregrinam, cumque in litore, observasset figuras mathematicas, SALVA, inquit, RES EST AMICI, HOMINUM VESTIGIA CONSPICIO; Et ingressus civitatem proximam, quinam essent illic disciplinarum studiosi, sollicitè investigavit, qui amicitia cum illo inita, summa ipsum humanitate tractarunt, lociis quoque illius viaticum ad reditum subministrantes; tandem cum, qui cum Aristippo venerant soli sine eo, in patriam reditum pararent, rogarentque illum, an quid vellet suis amicis rerunciari? UT, inquit, STUDEANT, SIBI HUIUSMODI PARARE OPES, QUÆ NAUFRAGIO NON PEREUNT, SED SIMUL CUM POSSIDENTE ENATANT. Verum quid Bionis & Aristippi vestigia lego? tu quoque Pereximie Domine Candidate ejusmodi tibi comparasti opes, tamque solidam & firmam eruditionem, ut illam nec fortuna malignitas infringere, nec rerum bene fluentium prosperitas pessundare valeat; Ideoque Amplissima Facultas Philosophica, te dignum omnino judicavit, in quem aureus ille titulus honorque Doctoris & Magistri, cum ei adhærentibus privilegiis, juribus & immunitatibus conferantur, in lucubrationum, vigiliarum, exantlatorumque laborum tuorum præmium & testimonium. Tibi itaque Domine Candidate hæc BONA NOVA mitto, officiose rogans, velis crastina luce, quam felici sydere illucescere faciat DEUS Optimus Maximus! hora nona, cum aliis, in Auditorium Academiæ Mathematicum convenire, inde in Brabeuterium solenni pompa deducendus, ubi in nomine sacrosanctæ & individuae Trinitatis Magister Philosophiæ, omnium cum consensu & adplausu, renunciaberis. Vale! Dabam Aboæ die 14. Februarii, ANNO reparati orbis MDCCXII.



